


bus & retorsionibus orbiculum intra campanam sine impedimento versare in utramque partem posset. Opacavimus præterea totum campanæ ambitum superinductâ chartâ, non nisi anteriùs unicâ relictâ quasi crenâ & aperturâ C D, per quam unus solus numerus, ex iis quos orbiculi margo recepit, tectis cæteris omnibus, in oculos incurrat, adeoque per alternas nunc hujus, nunc illius, apparentis aut disparientis numeri vices, humiditatis & siccitatis incrementa commodissimè notentur. Et quia experientia nos docuerat, aliquando in siccitate nimia nimis etiam extendi funiculum, ut campanæ fundum attingens orbiculum versari cessaret; huic etiam incommodo per duas rotulas E & F, quarum opè funiculus B, E, F, G, facillimè attrahi & abbreviari potest, consulimus.

Fig. 42.



II. Huic generi junximus aliud ex inventionione *Domini de Hautefeuille*, qui in epistola quadam anno 1678. edita & *Pendule perpetuelle* inscripta, diversas ejus formas nobis exhibuit. Paratis è ligno quercino subscudibus A B & C D, F f ex